



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1764

VD18 90118049

§. 32. Papa sententiam tuetur suam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)

Sæcul. XIII. A. C. 1245. *quin juvante Regum Rege, qui æquam semper causam protegit, his initiis ita nos opposituri simus, ut effectus rei tibi minime sint timendi. Rationem hujus perturbationis, quæ totum orbem Christianum in discrimen conjicit, Deus ab eo exiget, qui materiam illius præbet. Dabat Taurini ultimo die Julii 1245. Misit etiam Anglorum Regi, & probabiliter aliis Principibus.*

Matth. Par.
p. 596.

Id. p. 516.

Prior epistola Fridericum reddiderat odiosum, ut qui minuere vellet Ecclesiæ libertatem ac excellentiam, ab opibus & splendore profano separari non posse tunc visam; & hæresis suspicionem de illo conceptam firmaverat. Sed altera contrarium habuit effectum, & a Papa multorum Principum animos avertit, si Fridericus succumberet, Aulæ Romanæ dominationem timentium.

§. XXXII.

Papa sententiam tuetur suam.

Generalia Cisterciensium comitia festo Exaltatæ sanctæ Crucis die 14 Septembris ex more cum agerentur, ad illos Papa epistolam dedit, in qua dicebat: *Ecclesia in horribile venit periculum, quod precum duplicationem postulat. Non amplius solliciti erimus, ut contra Fridericum,*

cum, antea Imperatorem, materiam adhibeamus gladium, sed spirituali solum utemur. Non vos tangant sermones ob ignorantiam veritatis perhibentium, nos contra hunc Ecclesie inimicum ex preematura festinatione tulisse sententiam. Nec enim meminimus, ullam aliquando causam tam sedulo examinatam, & a viris tam doctis probisque expensam esse, usque adeo, ut secretis in consultationibus aliquot Cardinales personam advocati, quidam pro eo, alii contra illum gererent, quo penitus veritas sicut in disputationibus scholasticis indagaretur: & nos nullum invenimus medium sine offensa Dei, damno Ecclesie, ac conscientie laesione agendi aliter, quam fecimus cum dolore ac commiseratione Principis. Hoc proin iudicium insuperabili constantia tuebimur, atque si nobis & fratribus nostris id opus erit, vitam dabimus pro causa Dei ac Ecclesie. Monachi Cistercienses acceptis his litteris detestabantur Friderici partes, ac Summo Pontifici se arte conjungebant, orantes Deum, ut suam conservaret Ecclesiam. Eorum vero authoritas adhuc magna in orbe erat.

§. XXXIII.

Sacri milites in Francia.

Mense Augusto 1245. Papa ob preces S. Ludovici Parisios ut Legatum

Duchesne to. 5. p. 344. Matth. Par. p. 600.

I i 5

mise-